8

מגיד דברו ליעקב

CONCLUSIONES

Hebraico - Philologicas, & Critico - Theologicas

PRÆSERTIM

DE VATICINIO JACOB,

REVERENDISSIMO PATRI

FR. JOANNI THOMÆ DE BOXADORS

TOTIUS PRÆDICATORUM ORDINIS GENERALI MAGISTRO


D. D. D.

P. FR. PETRUS ZEROVNIZKY DE PRAGA

Provinciæ Boemiæ Alumnus

Dato cuilibet contradicendi loco

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI



BONONIÆ MDCCLVI.

Apud Hieronymum Corciolani, & H. H. Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

דברי חכמים כדרבנות וכמשמרות נטועים בעלי אסופות

נתנו מרעה אחד • קהלת יב -

לכל-הדברים אשר ידברו אל-תתן לבך •

קהלת ז

Digitized by Google

REVERENDISSIME PATER.

Diu nec ſatis unquam exoptata dies, vix tandem fauſta nobis illuxit, qua univerſa noſtra Prædicatorum Religio, ad ſupremum totius Ordinis Magiſterium (feliciter, & ſapienter omnia ità pro votis divina moderante Providentia) Te P. Rme, lætabunda ſuſpexit evectum: tum ego inter filios tuos minimus, ſecreta quadam amoris, atque admirationis vi exultare coactus, nimiòque ſtatim abreptus gaudiò, differre ultra non valui hasce meas (qualeſcunque ſint) Biblicas Theſes, non modò Tuo inſcribere Nomini; verùm etiam ſupremæ Tuæ in Ordine Noſtro Dignitati, Tuis item meritis, & ſapientiæ velle ſacratas. Splendidiora munera devoveant Alii, avitæ Tuæ, Tuorùmque Atavorum Nobilitati; dona deferant Alii digniora, Tuæ in Aula Invictiſſimi Imperatoris Caroli VI. tum in proponendis conſiliis prudentiæ, tum in rebus gerendis ſolertiæ & Dexteritati, dum adhuc inter Aulicos verſantem, & impensè Te Diligebat Imperator, & mirabantur Curiæ Primates, & cæteri omnes laudibus efferebant quandam Tibi propriam gravitati junctam animi lenitatem. Iſthæc ſiquidem ſingula, & alia pleráque tum Proavorum, tum Perſonæ Tuæ ſingularia, tacitus ornamenta conſiderans, video mihi Religioſo alumno, De Religioſo Patre differenti, ſas eſſe omnia ſilentio præterire. Si enim mundi honores, & Aulæ dignitates veluti inanes umbras, noſti ſponte deſpicere, ut totum Te Religionis humilitati deſpondens, in Dominicanam familiam cooptareris: quomodonam hujuſmodi ſæculi amatoribus optata encomia, Tibique jamdiu deſpecta, Tua Tecum, P. Rme, recenſeri pateretur Religioſi Viri modeſtia?

Sed ſi deſeruiſti honorifica mundi faſtigia; non deſeruiſti inſignia meritorum momenta. Elapſo itaque è mundi honoribus, vide quàm ſplendida tibi hodie occurrant noſtri Ordinis Dignitates? Quiſnam is ſit, qui totum Prædicatorum Ordinem moderatur & regit, digniſſimè expoſuit ſapientiſſimus Pont. Opt. Max. Benedictus XIV. *in laudatiſſima allocutione ſua, cum inter cetera, quàm magni momenti ſit, aperuit Generalem Ordinis Prædicatorum Magiſtrum eligere*, cui ſemel delatum regimen perpetuum

dum vixerit, futurum erit, cùmque unuſquiſque ex eo ſplendoris loco, quem Dominicana familia in Eccleſia Chriſti obtinet, facilè intelligat, illius Rectoris electionem non ad ſolam ejuſdem familiæ utilitatem, & adminiſtrationem referri, ſed etiam ad univerſam Chriſtianam Rempublicam, ratione aliqua pertinere.

Hujuſmodi ſupremam in familia noſtra Præfecturam, ſi non ſignificabant, proludebant tamen Tibi deferendam, illa Tuarum virtutum merita, quibus illecta Aragoniæ Provincia in ſuis Comitiis congregata, Te Romæ degentem, totúmque aliud meditantem, in ſuum Rectorem adſciviſſe lætata eſt, cum Te talem fuit experta, qualem jam antea (prædicante fama) Te futurum conceperat. Hinc tanta Tui admiratio, tantus amor & exiſtimatio reliquis etiam Hiſpaniarum Provinciis inſedit, ut cum actum nuper eſt de novo eligendo totius Ordinis Generali Magiſtro, Te unum in ſupremum Patrem, & Moderatorem Hiſpani omnes exoptarent, téque unum, quem dignè pro meritis extollerent, ſe uno ore noſſe faterentur. Quemnam verò alium Alii etiam vellent eligere, quam quem Hiſpani, Galli, Germani, atque Itali audiebant unuſquiſque lingua ſua illum loquentem, & quem doctè ſapientérque latino, græcoque ſermone diſſerentem admirabantur; quem exornabat eruditio, & ſapientia; D. Thomæ illuſtrabat Doctrina, quam diu laudabiliter Romæ expoſuit? Quem morum commendabat gravitas, & Religioſi viri decorabant virtutes?

Quiſque vel hinc facilè videt quàm jure & merito Theſes has, veluti in lingua Hebraica & Chaldaica, ſacróque Bibliorum ſtudio Tyrocinium meum Tibi, Pater, Rme, debuerim offerre. Studium ſiquidem hebraici ſermonis, & ſacrarum Literarum ad cujuſnam ſinum convolare, cujuſnam implorare patrocinium poteſt & debet, niſi illius, qui pluribus linguis mirum in modum excultus, ſacriſque ſtudiis cumulate dignoſcitur eruditus? Quamvis enim ſæpè non deſint invidi Homines, ſtudiique linguarum Orientalium Oſores, qui hebraicas & chaldaicas literas, quas ignorant, deſpiciunt, præpediunt, & quaſi non verentur deridere; Te tamen contrà ſentire ſciunt omnes, qui Te noverunt. Tua nimirùm P. Rme ſapientia, & doctrina unâ cum ſumma in Ordine noſtra auctoritate, conjuncta, hoc ſibi proprium vindicat ut hujuſmodi ſtudia Theologis viris & præſertim Religioſis alumnis apprimè neceſſaria, fovere, tueri, ac in dies magis promovere geſtiat, glorietur, & veluti pro munere contendat. Ad Te itaque veluti exules confugiunt Orientales ſacraque linguæ, Tuóque petunt juvari, relevaríque præſidio. Hoc fidentius ſperant, dum Te pro dignitate Tua, meditantem utilia, & omnia ſapienter moderantem admirantur & exultant.

Itaque hoc meum qualecunque ſtudium, officium, debitúmque obſequium, benigno, ut ſoles, P. Rme, excipe vultu: dum Deum Optimum Maximum enixè deprecor, ut Te tibi, nobiſque diu ſervet incolumem.

Humill. Addictiſs. & Obſequentiſs. Filius, & Servus
Fr. Petrus Zerovnizky Ord. Præd.

PROLUSIO CRITICO - PHILOLOGICA

De Linguà Hebræà.

I.

Lingua Hebrea, quam Judæi hodie Sanctam dicunt, ab Heber, probabilius derivare videtur nomen ſuum. Hanc eſſe omnium linguarum primam, non levia ſuadent rationum momenta, ex ſacris libris petita. Hanc ideo primævam linguam probabilius aſſerimus; neque audiendos putamus, qui Chaldaicæ, aut Syriacæ primatum deferunt; voluntque Abrahamum Caldaicâ linguâ locutum. Longiùs errare judicamus, qui Moyſem antiquis nominibus (ut ipſi putant) Chaldaicis, ſubſtituiſſe opinantur plura ex illis, quæ hodie in Hebraicis Codicibus Hebraica depræhenduntur.

II.

Plurimi ex illis ipſis, qui Hebraicam linguam primævam concedunt, hanc periiſſe autumant in captivitate Babylonica. Nos contra ſentimus. Neque enim laborioſum eſt demonſtrare, linguam, qua Moyſes libros legis exaravit, fuiſſe ipſamet Populi Iſraelis regredientis in Jeruſalem poſt ſeptuaginta annos captivitatis.

III.

Quamvis non æquè certis, quibus præmiſſa aſſertio probatur, demonſtrari poſſit neque in captivitate, neque poſt regreſſum ex ipſa Babylonica captivitate mutatos fuiſſe priſcos characteres Hebraicos; probabilius tamen adhuc opinamur eoſdem fuiſſe in uſu, ſub Eſdra, in ſacris libris.

Digitized by Google

מגיד דברו ליעקב

Cęterorum Prophetarum oracula portendit Jacob Vaticinans de Meſſia Gen. 49. 10.

לא-יסור שבט מיהודה ומחוקק מבין רגליו
עד כי-יבא שילה ולו יקהת עמים

I.

INtegritas hujus textùs in dubium revocatur à quibuſdam, qui legendum putant דגליו pro רגליו, ut ſenſus ſit, *non fore auferendum belli Ducem de vexillis Judę, donec venerit Scilò*. Occaſionem fortè præbuit Codex Samaritanus, qui legit דגליו *Daglau*. Hujuſmodi mutatio placuit Jobo Ludolpho; eamque comprobavit Joannes Clericus. Verum à nobis reijcitur, cum nullâ ſolidâ ratione cenſeamus demonſtrari poſſe indicatam textus corruptionem.

I I.

Neque defuerunt, qui corruptam aſſererent vocem שילה; vellentque reponendam vocem aliam quoad litteras valde conformem, videlicet שלוח, vel etiam שילוח, ut inde *miſſus*, habeatur. Nos cum iſtis ſentire non poſſumus; Ideoque vocem שילה, ut omnia exemplaria Hebraica retinent, intactam propugnamus.

I I I.

1. לא יסור שבט

Amotis dubijs de textùs integritate, ſingulas oraculi voces ordinatim expendendas aggredimur.

Quamvis dictio שבט *Scevet* aliquoties in ſacris libris flagellum, & virgam punitionis denotet, ut Proverb. cap. 26. v. 3. ושבט לגו כסילים *& flagellum dorſo ſtultorum* (congruit), & alibi; non tamen in Jacobi vaticinio toleramus hujuſmodi interpretationem. Ideo pugnamus contra Rabbinos illos, qui vocem שבט pro *punitione* exponendam docent, ut refert Iſaac Abrabanel ad 1. lib. Samuelis cap. 9. ubi inter cętera habet נפרש מלת שבט על המכות והעונשים *exponitur dictio ſcevet de plagis, & punitionibus*, ita ut hujuſmodi ſenſus eruatur: (ut ibidem ſubditur) *erit continuatio punitionis in Tribu Juda, uſquequò veniat Scilò, qui eſt Meſſias*. Sed hoc rabbinicum delirium, Jacobi verba non admittunt.

I V.

Indicatam Rabbinorum interpretationem eo magis deridendam demonſtramus, quo clarius ex Prophetarum oraculis, etiam juxta talmudicas traditiones expoſitis, conſtat in adventu Meſſiæ, Judæorum Populum

Digitized by Google

lum in pejora ruiturum. De hoc nemo dubitabit, qui leget verba Iſaiæ cap. 8. v. 14. והיה למקדש ולאבן נגף ולצור מכשול לשני בתי ישראל *& erit in ſanctificationem, & in lapidem offenſionis, & in Petram ſcandali duabus Domibus Iſrael*. De Meſſiâ hoc ita exponitur in Tractatu Sanedrìn cap. 4. אין בן דוד בא עד שיכלו שני בתי אבות מישראל *Filius David* (Meſſias) *non venit, donec conſummentur duæ Familiæ Patrum ex Iſrael*. Idem eſto judicium de verbis Jeremiæ cap. 3. v. 14. ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה *& aſſumam vos unum de Civitate, & duos de Tribu*. De diebus Meſſiæ accipiunt Rabbini Talmudiſtæ in Sanedrin cap. 11. מקיש יציאתן ממצרים לביאתן לארץ .... ביאתן לארץ שנים מששים ריבוא .... אמר רבא וכן ליומות המשיח = *Comparat* (Propheta Jeremias) *egreſſum eorum ex Ægypto, ingreſſui eorum in terram... Ingreſſus eorum in terram* (fuit) *duorum ex ſexcentum millibus .... Dixit Rabà & ita* (erit) *in diebus Meſſiæ*. Similia plura non raro ſuppeditat Talmud.

V.

לא יסור שבט 2.

Certum eſt שבט ſignificare Familiam, & Tribum. Ideo lib. Judicum cap. 20. v. 12. legimus שבטי ישראל *Tribus Iſrael*, & ſtatim שבטי בנימין *Familiæ Beniamin*. Hinc eſt quod Jacobus Altingius, alijque non ſolum pro Tribu, ſed etiam pro diſtincta Familiarum ſerie, accipiunt vocem שבט *Scevet*; atque hoc ſenſu exponunt verba Jacobi, videlicet: *non ceſſabit diſtincta Familiarum ſeries in Judâ, quouſque venerit Scilò*. Datam interpretationem non facile admittendam cenſemus, cum non ſatis videatur Jacobi verbis congruere; & ſenſus ineptus reddatur. Cum enim nomen *Juda* ibi ponatur pro ipsâ Tribu Judæ; vix judicamus credibile Jacobum dicere voluiſſe: *non ceſſabit Tribus à Tribu Juda, donec venerit Scilò*.

V I.

Si indicata interpretatio theologicè accipiatur, eam ambabus manibus amplectimur; cum ex illa ſicut & ex pluribus alijs Prophetarnm teſtimonijs Meſſiam non ex Juda ſolùm; verum etiam ex David per Zerubabelem, oriturum invictè demonſtremus. Nam ex lib. 1. Paralip. cap. 3. fit manifeſta diſtincta Familiarum ſeries in ipſis Filijs Zerubabelis uſque ad tempora parum remota à Fine Templi ſecundi. Inde Meſſiam jam apparuiſſe contra Judæos clarum & efficax habetur argumentum.

V I I.

לא יסור שבט 3.

Dictio שבט ſæpe in ſacris libris Baculum poteſtatis, & virgam dominij ſignificat, ut conſtat ex Pſal. 125. v. 3. שבט הרשע & Ezechielis

Digitized by Google

cap. 19. v. 14. שבט למשול. Clarius hoc patet, ſi adnotetur lib. 2. Samuelis cap. 7. v. 7. dici שבטי ישראל eos, qui 1. Paralip. cap. 17. v. 6. dicuntur שופטי ישראל *Judices* Iſrael. Hanc ſignificationem non ſolum verba Jacobi videntur exigere; verum etiam plurium Rabbinorum interpretationes conſentiunt. Hinc, virgam dominii, Jacobum voce שבט expreſſiſſe contendimus, contra nonnullos modernos Rabbinos.

VIII.

Quamvis שבט exponatur pro ſceptro, dominio, ſive etiam Principatu; nulla nos cogit ratio, ut pro regiâ dignitate cum dominio conjunctâ intelligamus. Ideo שבט pro dominio abſolutè, & præcisè conſiderato, etiam regia dignitate deſtituto interpretamur; ſeù pro eo, qui, ut habet Targum Onchelos עבד שולטן, *exercet dominium*. Neque obſtat à vulgato Interprete verti *ſceptrum*; cum etiam apud ipſum Vulgatum non ubique *ſceptrum*, regium inſigne deſignet, ut patet legenti cap. 18. Numer. v. 2. ubi dicitur Aaroni: *Sceptrum Patris tui, ſume tecum*.

IX.

מיהודה

Nomen *Juda* à Matre impoſitum, quartum Jacobi Filium oſtendit; Pater tamen non Filium dumtaxàt, ſed ejus progeniem indicat. Si enim ipſamet Perſonam Judæ hîc intelligeret Jacob; adhuc ipſo Juda vivente, adimplenda erant, quæ ibi prædicebantur. Ut verò alterum extremum evitemus, declinamus ab illis, qui, nomine Judæ totum populum Iſrael deſignatum opinantur. Sicut enim ex Judæ ſemine Meſſias promittitur; & Juda præ ceteris eſt Tribus electa (ex 1. Paralip. cap. 28. v. 4. ביהודה בחר); ita in Judæ benedictione vaticinans Jacob, ipſam ſolam Tribum Juda præ oculis habuit.

X.

Soli Filio Jacob, benedixerat Iſaac; non ita tamen Jacob; quin potius (Gen. 49. v. 28.) *benedixit ſingulis* Filijs ſuis *benedictionibus proprijs*; Judam vero ceteris prætulit. Quamvis enim *data* ſint (1. Paralip. cap. 5. v. 1.) *primogenita Filijs Joſeph*; ita tamen Tribum Judam à Deo electam videmus, ut ab initio, ipſoque Reipuplicæ Hebraicæ exordio, uſque ad extremam ejuſdem Reipublicæ ruinam, ſola inter ceteras excelleret. Hoc aſſeruit Jacob Gen. 49. v. 8. verbis illis: יהודה אתה יודוך אחיך ישתחוו לך בני אביך *O Juda, te laudabunt Fratres tui; adorabunt te Filij Patris tui*. Hoc idem innuitur 1. Paralip. cap. 5. v. 2. יהודה גבר באחיו *Judas prævaluit inter fratres ſuos*; ſeu ut habet vulgatus: *erat fortiſſimus inter fratres ſuos*. Hoc alia ſcripturarum teſtimonia confirmant, præſertim, ſi cum ipſo eventu conferantur.

Non

X I.

Non deſunt, qui putant oraculum Jacob ita eſſe intelligendum, quaſi diceret, non receſſurum Dominium à Juda uſque ad Meſſiam, poſtquam ſemel Judas Dominium occupabit. Verum hæc aſſertio neque cum verbis Jacob; neque cum eventu videtur convenire. Finem ſiquidem Reipublicæ Judaicæ; non vero initium Dominij in Juda, indigitat Jacob, cum dicit: עד כי־יבא *uſquequo venerit*. Ideoque verba Jacobi ita accipienda proponimus, ut hunc ſenſum exhibeant, nempe: *non recedet Dominium, & Synedrium, ſeu legis doctrina a Tribu Juda, etiam ultimis temporibus, tunc cum propè inſtabit adventus Meſſiæ*.

X I I.

ומחוקק מבין רגליו. I.

Nomen מחוקק Mehhokek juxta Grammaticos verti poſſet *decernens*; ſed ab Interpretibus, & ab ipſo vulgato vertitur *Princeps* lib. Judic. cap. 5. v. 14. vertitur *Rex* Pſal. 60. v. 9. & Pſal. 107. v. 9. Neque ab hac interpretatione diſſentiunt Rabbini. R. David Kimchius in cap. 33. Iſaiæ v. 22. docet: המושל יקרא מחוקק כמו ומחוקק מבין רגליו לפי שהוא משים חוקים בעם. *Dominans vocatur Mehhokek, juxta illud: & Mehhokek de pedibus ejus: eo quod ipſe ponit (hhukim) decreta in Populo.*

Voces etiam illæ מבין רגליו non uno modo accipiuntur. Quamvis enim ad litteram indicent *de pedibus*, ſeu *de medio pedum ejus*; putant tamen nonnulli Rabbini cum Targumiſtis deſignari propagationem. Ideo utrumque Targum habet מבני בנוהי *de Filijs filiorum ejus*. Inde vulgatus vertit *de Foemore*. Si itaque vaticinium Jacob exponatur hoc modo: *non recedat Dominium à Juda, nec deerit Princeps, ſeu Dux de foemore ejus &c.* expoſitio non ſolum concordat cum laudatiſſimis verſionibus, ſed etiam cum ipſis Rabbinis. Inde aſſeritur adventus Meſſiæ Nazareni.

X I I I.

ומחוקק מבין רגליו.

Vulgatus Interpres vertit vocem מחוקק *Dator legis* lib. Numer. cap. 21. v. 18. vertit vero *legifer* Iſaiæ cap. 33. v. 22. Hanc ipſam interpretationem amplectitur Auctor Targum, dictum locum, Iſaiæ exponens his verbis די יהב לנא אולפן אוריתא *qui dedit nobis doctrinam legis*. Rabbi vero David Kimchius in lib. radicum, vult ab Iſaia Deum dici מחקקנו שנתן לנו החקים *quia dedit nobis ſtatuta*. Idem Deut. 33. v. 22. De Moyſe legiſlatore dici מחוקק putat R. Salomon. Neque abludit ipſa vocis inflexio.

Voces מבין רגליו verti poſſunt etiam *de ditione, ſe dominio ejus*. Ea enim in pedibus, ſeu inter pedes habere dicimur, quorum ſumus Domini. Neque inſolens eſt hujuſmodi loquendi ratio. Nam Exod. cap.

11. v. 8. ubi vulgatus habet: *omnis Populus, qui ſubjectus eſt tibi*, Hebræus legit כל-העם אשר ברגליך *omnis Populus, qui inter pedes tuos*. Similia exempla videri poſſunt Deut. 11. 6. & 4. Reg. cap. 3. v. 9. & alibi ſæpe. Ita etiam Judic. cap. 8. v. 5. legit vulgatus: *Date panes Populo, qui mecum eſt*; ſed Hebraice eſt לעם אשר ברגלי *Populo, qui inter pedes meos*. Hinc מבין רגליו exponi poteſt: *De ditione Judæ*, *ſeu de inter Judæos*.

Itaque ſi verba Jacobi exponantur hoc modo: *non ceſſabit Dominium in Juda; nec deerit legislator, ſeu legis authoritas, aut Synedrium inter Judæos &c.* expoſitio etiam Philologicè congruit cum textu Hebraico; & pari claritate demonſtrat adventum Meſſiæ.

X I V.

3. ומחוקק מבין רגליו

Dictio מחוקק non ſemper uno modo ab ipſis Targumiſtis accipitur; ut plurimùm verò vertitur ספרא *Scriba*. In vaticinio Jacobi, Rabbini idem exprimunt. Nam R. Abraham Ben Eſdra exponit סופר. R. Salomon Jarchius תלמידים *Sapientes*; Iſaac Abrabanel ad cap. 9. lib. 1. Samuelis מורי התורה *Doctores legis*. Item Talmud Sanedrin cap. 1. intelligit eos שמלמדים תורה ברבים *qui publicè legem docent*. Legis peritum igitur, ſeu Doctorem legis, quem nos Theologum dicimus, docemur eſſe Mehhokek. Judas iterum מחוקק vocatur Pſal. 108. v. 9. & Pſal. 60. v. 9. ubi Hebræus habet יהודה מחוקקי quod Chaldæus vertit ומדבית יהודה ספרא רבית אולפני & *ex Familia Judæ, ſcribæ* (ſeu Doctores) *ſcholæ meæ*.

Circa voces מבין רגליו ſunt qui in eam ſententiam ingrediuntur, ut tueantur expoſitionem, quæ pedes, per translationem familiarem, ſignificant id, quod in qualibet re eſt poſtremum, & ultimum, ut patet dictum de ſtatua Danielis cap. 2. v. 33. Quamvis hujuſmodi interpretatio non omnino fortè videatur congrua; admitti tamen adhuc poteſt: cum ex ea nullum ſequatur incommodum.

Si vaticinium Jacobi exponatur hoc modo: *non recedet Dominium à Juda, neque legitima legis doctrina, & intelligentia, etiam ultimis Judaica Reipublicæ temporibus, quouſque appareat Meſſias*: Prædictio veriſſima eſt. Immo ex hac, ſicuti & ex præcedenti expoſitione, indigitatur fore mutationem legis ſub Meſſia.

 De

X V.

De mutatione legis.

CUm Mehhokek à Rabbinis exponatur de legis doctrina, legiſque Doctoribus, ſive etiam de ipſo Synedrio legis interprete; ſi in adventu Meſſiæ ex verbis Jacobi, ceſſare hoc totum debet, ſequitur eſſe admittendam veteris legis abrogationem, quam contra ipſos Rabbinos, clarius demonſtramus ex Jeremia cap. 3. v. 16. לא יאמרו עוד ארון ברית יהוה ולא יעלה על לב ולא יזכרו-בו ולא יפקדו ולא יעשה עוד וגו *Non amplius dicent: Arca Foederis Domini; neque aſcendet ſuper cor; neque recordabuntur ejus, neque viſitabunt; neque amplius coletur &c.* Item cap. 31. v. 31. וכרתי את-בית ישראל ואת-בית יהודה ברית חדשה לא כברית אשר כרתי את אבותם וגו *& feriam cum Domo Iſrael, & cum Domo Juda foedus novum, non ſicut foedus, quod pepigi cum Patribus eorum &c.*

X V I.

Nihil obtinent Rabbini, moſaicæ legis immutabilitatem, ex ejus perfectione repetentes. Nos enim illam imperfectam aſſerimus, & demonſtramus ex Jeremia cap. 7. v. 22. &c. לא דברתי את אבותיכם ..... על דברי עולה וזבח *non ſum locutus cum Patribus veſtris de verbis holocauſti, & victima.* Tum etiam ex Ezechiele cap. 20. v. 25. נתתי להם חקים לא טבים *dedi eis pracepta non bona*, ſeu imperfecta.

X V I I.

Minus etiam valet ad tuendam legis perpetuitatem dictio עולם, qua nimis imperitè abutuntur nonnulli ex Rabbinis; & diſertis verbis R. Moyſes Bar Majmon in Jeſodè torâ cap. 9. dicens הא למות שכל- דברי תורה מצווין אנו לעשותן עד עולם וכן הוא אומר חוקת עולם לדורותיכם *Ecce didiciſti omnia verba legis pracepta nobis fuiſſe ut faciamus ea uſque in perpetuum; & ideo ipſe* (Deus) *dicit* Levit. 23. v. 14. *ſtatutum æternum in generationes veſtras.*

X V I I I.

Gloriantur Rabbini miſſionem Moyſis voce Domini Dei loquentis de medio ignis, fuiſſe confirmatam coram ſexcentum millibus Iſraelitarum, ut diſertè diſſerit Rabi Moyſes Kozzenſis in præfatione præmiſſa præceptis affirmativis. לאחר שנתן את התורה אמר אתם ראיתם כי מן השמים דברתי עמכם כלומר אין לכם להאמין עוד לשום אדם שיומר שהתחלפתי תורה זאת אם לא תראו שאדבר עמכם מן השמים *Poſtquam* (Deus) *dedit legem, dixit vos vidiſtis* (Exod. 20. v. 19.) *quod de cęlis locutus ſum vobiſcum; ac ſi diceret: non poteſtis iterùm credere ulli hominum dicenti, quod mutavi legem; niſi videritis, quod loquar vobiſcum de cęlis.* Similia videri poſ-

ſunt

Digitized by Google

ſunt in lib. 3. Ikarim cap. 20. R. Joſeph Albo; ſicut & in alijs. Ideo cum Majamonide loco ſupra indicato, & alibi, docent nulla ratione audiendum; immo potius omnino interimendum volunt quemcumque etiam Prophetam, qui novam legem proponat; niſi pari ſaltem inauguratione, qua miſſus fuerat Moyſes, à Deo mitti dignoſcatur.

Nos contra hujuſmodi Rabbinorum commenta, demonſtramus Meſſiam Nazarenum, ipſo Moyſe majorem, ſplendidiori etiam inauguratione, quam ipſum Moyſem miſſum fuiſſe; ideoque ex ore ejus recipiendam novæ legis prædicationem.

X I X.

In nova lege, ante omnia, abrogandum fuiſſe Sacerdotium leviticum aſſerimus. Ad hoc demonſtrandum, utimur Pſalmo 109. (juxta Hebræos 110.) in quo legitur (v. 1.) נאם יהוה לאדני שב לימיני *Dixit Dominus Domino meo: ſede ad dexteram meam*. Totum hunc Pſalmum neque de David, neque de Abraham, ut quidam ex Rabbinis volunt, exponi poſſe contendimus; ſicuti neque de quocumque puro Homine. Fruſtrà vocem כהן ad ſignificandum Regem, ſive Principem, detorquent Judæi, cum verè Sacerdotem ibi denotet.

X X.

Solius Meſſiæ elogium continet indicatus Pſalmus. Neque enim de alio, præter Meſſiam, intelligi debet, & poteſt, ſi omnia ſimul conſiderentur. Idipſum jam agnoverunt quidam ex priſcis Rabbinis in Jalkut, & etiam ex recentioribus hoc fatetur R. Sahadia Gahon ad cap. 7. Danielis ſcribens וארו עם ענני שמיא כבר אנש אתה הוא זהו משיח צדקנו ועד עתיק יומיא מטה וקדמוהי הקרבוהי כדכתיב נאם יהוה לאדני שב לימיני וגו *& ecce* (Daniel. 7. v. 13.) *cum nubibus cælorum ſicut Filius hominis veniebat: iſte eſt Meſſias juſtitia noſtra. Et uſque* (Daniel ibi) *ad antiquum dierum pervenit, & coram eo admoverunt eum. Sicut ſcriptum eſt:* (Pſal. 110.) *Dixit Dominus Domino meo: ſede ad dexteram meam*. Ex hoc verò Pſalmo de Meſſia expoſito, demonſtratur ſub Meſſiâ mutatio Sacerdotij.

X X I.

Abrogationem veteris Sacerdotij prædicit Iſaias, cum de Meſſiæ tempore agens, in Sacerdotes, & Levitas, aſſumendos Gentiles annunciat cap. 66. v. 21. וגם מהם אקח לכהנים ללוים אמר יהוה כו *& etiam ex eis accipiam in Sacerdotes, in Levitas, dicit Dominus*. Inſanis & ſubdolis commentis fruſtra hoc vaticinium conantur obſcurare non ſolùm Judæi, verùm etiam Lutherani, & Calviniſtæ, qui vel veros Sacerdotes de medio tollunt; vel Sacerdotium fidelibus omnibus commune faciunt in Eccleſia Chriſti. Utrumque errandi modum excludit Propheta, qui non omnes Gentiles ad fidem converſos, ſed ex Gentilibus

tilibus aliquos dicit fore Sacerdotes; utque veros Sacerdotes deſignet, nominat Levitas. Videatur idem Propheta cap. 61. v. 6. qui eos futuros Sacerdotes, qui tales antea non vocabantur, deſignat.

XXII.

Non minus novum Sacerdotium, novaque ſacrificia confirmant verba Malachiæ cap. 1. v. 11. בכל-מקום מוקטר מוגש לשמי ומנחה טהורה כי גדול שמי בגוים אמר יהוה *In omni loco profumatio oblata nomini meo, & oblatio munda, quia magnum nomen meum inter Gentes, dixit Dominus*. Eo etiam clariùs novum Sacerdotium, & novum ſacrificium aſſeritur, quo evidentiùs repellitur antiquum, illis verbis (ibi. v. 10) אין לי חפץ בכם אמר יהוה צבאות ומנחה לא ארצה מידכם *Non eſt mihi voluntas in vobis, dixit Dominus exercituum, & oblationem non acceptabo de manu veſtra*

XXIII.

Iſaias item cap. 19. v. 19. idem denunciat verbis illis: ביום ההוא יהיה מזבח ליהוה בתוך ארץ מצרים *In die illa erit Altare Domino in medio terræ Ægypti*. Cum præmonſtret converſionem Gentium, ſimulque indicet fore Altare, & ſacrificia Deo accepta, extra terram Iſrael; non modo ſit manifeſtum ipſum locutum fuiſſe de tempore Meſſiæ; ſed etiam de novo Sacerdotio. Hanc prædictionem nullo modo evertunt, qui conantur Prophetam exponere de Onia, qui Heliopoli templum adinſtar Jeroſolymitani conſtruxit. His enim ſatis eſſet opponere quod habet Daniel cap. 11. v. 14. ובני פריצי עמך ינשאו להעמיד חזון ונכשלו *Filij quoque Prævaricatorum Populi tui extollentur, ut impleant viſionem, & corruent*, ſeu decepti impingent.

XXIV.

Quod legitur in epiſt. ad Hebræos cap. 7. v. 12. *translato Sacerdotio neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*: Demonſtratur efficaciter concludere contra Judæos, ita ut ex his, quæ prælibata ſunt de mutatione Sacerdotij, concedi debeat abſoluta legis translatio. Hoc verum ſuadetur, tùm quia legis doctrina à Sacerdotio pendet ex Deuter. cap. 17. v. 8. & 9. כי יפלא ממך דבר למשפט...ובאת אל-הכהנים הלוים וגו *Si difficile erit tibi verbum judicij... perges ad Sacerdotes Levitas &c.* item ex Malachia cap. 2. v. 7. שפתי כהן ישמרו דעת ותורה יבקשו מפיהו *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam; & legem requirent de ore ejus*. Tum etiam, quia potior legalium præceptorum pars Sacerdotio, neceſſariò affixa dignoſcitur.

XXV.

Ut magis perſtringantur Judæi, deſcendimus ad oſtendendam legis mutationem etiam in quibuſdam ſingularibus, quæ veluti præcipua veteris legis inſignia ſolent reputari, Celebratio Paſchatis, & Agitatio Faſciculi

ſciculi ſpicarum junguntur Levit. cap. 23. v. 5. & 10. &c. In primis itaque dicimus Feſtum Paſcatis, & agitationis Faſciculi nec poſſe, nec debere ſervari tempore Meſſiæ, cujus legem præter Judæos, etiam Gentes expectant ex verbis Iſaiæ cap. 42. v. 4. ולתורתו איים ייחלו. Ideo nimium delirant Judæi non modo, cum Meſſiam expectant; ſed eo magis, cum ſe iterùm paſchalia feſta celebraturos in terrâ Iſraelis ſperant, ſub lege Meſſiæ.

XXVI.

Enumeratis quinquagiuta diebus à die agitationis Faſciculi, qui erat meſſis initium, (Deut. 16. v. 10.) ex legis præſcripto (Levit. cap. 23. v. 15.) peractâ jam meſſe, celebrandum erat חג שבועות *feſtum ſeptimanarum*, ſeu *Pentecoſtes*, dictum etiam (Exod. 23. v. 16.) חג הקציר *feſtum meſſis*, eo quod in eo pro meſſe, Deo grates agebantur. Hujus ſolemnitatis abrogationem multæ rationes ſuadent, quamvis vel hæc ſola ſufficeret, qua hoc feſtum in ſola terra Iſraelis celebrandum præcipitur, & in loco à Deo electo. Deut. 16. v. 11. אשר יבחר יהוה.

XXVII.

Idem ferme judicium eſto de Feſto, quod חג הסוכות (Deut. 16. v.13.) *Tabernaculorum* dicunt; vel etiam (Exod. 23. v. 16.) *feſtum collectionis* חג האסף, eo quod בצאת השנה *in exitu anni* celebrabatur, poſtquam ex Agris fruges erant aſportatæ. Ad aſſerendam hujus feſti abrogationem vel ſola ſufficerent verba illa (Levit. cap. 23. v. 43) למען ידעו דורותיכם כי בסוכות הושבתי את-בני ישראל בהוציאי אותם מארץ מצרים *Ut ſciant Generationes veſtræ, quoniam in Tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti*. Neque noſtram aſſertionem, infirmat, ſi opponatur, quod habet Zacarias cap. ultimo v. 16.; quod Gentes de anno in annum aſcendent Jeruſalem לחוג את-חג הסוכות ad celebrandum feſtum *Sucot*, ſeu Tabernaculorum.

XXVIII.

Cum proponitur dubium: an Sabbatum ante Moyſem, Patribus datum fuerit? ſunt qui utrinque pugnant. Nos cum illis ſentimus, qui volunt Sabbatum Hebræis mandatum fuiſſe poſt egreſſum ex Ægypto; non vero Patriarchis ab initio, ſive etiam Adamo. Aſſertio noſtra omnino concordat cum enarratis Exod. cap. 16. Cum enim quotidie eandem collectæ mannæ menſuram quiſque deprehenderet; die ſexto (ib. v. 22.) duplex cuique menſura inventa eſt. Admirati Primores rem Moyſi deferunt. Moyſes hinc præceptum Sabbati aperit, dicens (v. 29.) ראו כי יהוה נתן לכם השבת על כן הוא נתן לכם ביום הששי לחם יומים *Videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum: propter hoc tribuit vobis die ſexta panem duorum dierum*. Concordes nobiſcum habemus fermè omnes Rabbinos.

XXIX.

Ex præcedenti aſſertione, alijſque rationibus ex ipſo Sacro textu erutis, contra Judæos pugnamus, oſtendentes tempore Meſſiæ abrogandum Sabbatum, ſicut & Annum Sabbaticum, nec non & Jubilæum. Nam Sabbati nomine non ſolùm hæc ſingula intelligi debent, ut docent communiter Rabbini, verùm etiam quælibet feſta. Audiatur ſaltem. Iſaac Abrabanel ad cap. 58. Iſaiæ בדבור זכור את־יום השבת נכללו כל־מועדי השם *Cum dicitur: memento diei Sabbati, includuntur omnes ſolemnitates Domini*. Cum igitur hujuſmodi Sabbatum, & Sabbata dicantur ſignum inter Deum, & Iſraelitas (Exod. 31. v. 17, & Ezechielis cap. 20. v. 12.) Ceteris Populis Meſſiam confitentibus aptari non poſſe, vel ex hoc quiſque facile colligit.

XXX.

Docent Rabbini fore ſub Meſſia ſervanda, quæ in lege mandantur circa Urbes refugij. Hinc Iſaac Abrabanel pluribus in locis, ut oſtendat Meſſiam nondum apparuiſſe, obtrudit ex Bereſcit Rabà, poſt R. Salomonem Jarchium, & Alios, ex decem, vel etiam undecim Nationibus, quas Deus Abrahæ ſemini (Geneſ. 15. v. 19.) poſſidendas promiſerat, tres adhuc ſupereſse, quas Iſraelitæ nunquam occuparunt, nimirum Kinæos, Kinezæos, & Kadmonæos, quos dicunt eſſe Edom, Moab, & Ammon. Legitur enim in Bereſcit Rabà ſect. 44. קיניזי הוא מעשו קיני וקדמוני הוא מעמון וממואב אבל ליםות המשיח יחזרו ויהיו לישראל *Kinezæus eſt ex Eſau, Kineus & Kadmonæus ex Ammon & ex Moab; ſed in diebus Meſſiæ convertentur, & ſubijcientur Iſraeli*. His Populis ſuperatis, addendas ex Dei præſcripto tres Urbes refugij autumant; & hoc tempore Meſſiæ. Nos econtrà demonſtramus falſum omnino deletos non eſſe Kinæos, Kinezæos, & Kadmonæos; falſum item hos eſſe Edomæos, Moabitas, & Ammonitas; falſum etiam addendas fuiſſe tres alias Urbes refugij. Nam iſtæ omnino ſex; non verò novem, aut plures eſſe debebant. Legitur enim Numer. 35. v. 13. שש ערי מקלט תהיינה לכם *ſex Urbes refugij erunt vobis*.

XXXI.

Ut omnino diſſipetur Rabbinorum ſomnium de addendis Urbibus refugij, in diebus Meſſiæ, ſatis eſt evincere nullas ſub Meſſia futuras hujuſmodi Urbes, quales deſignavit Moyſes. Nulla vero ratio conciliare poteſt cum lege Meſſiæ, Urbes illas, quæ ultra, vel citra Jordanem eſſe debebant. Deut. 19. v. 23. שלש ערים תבדיל לך בתוך ארצך *tres Urbes ſeparabis tibi in medio terræ tuæ*. (videatur & Numer. 35.

doctis magni erat morandum. Inſuper ſolis Incolis terræ Iſraelis addicebantur. Nam Num. 35. v. 15. dicitur quod לבני ישראל ולגר ולתושב בתוכם תהיינה *pro Filijs Iſrael, & pro Peregrino, & pro Incola in medio eorum erunt.*

X X X I I.

Lex de offerendis Deo primogenitis, ſeu primitijs tum Hominum, tum Brutorum, ſicut & frugum terræ, nulla erit tempore Meſſiæ. Sive enim reſpiciatur hujus legis ratio; ſive præſcriptus oblationis, aut commutationis modus, cum lege Meſſiæ conciliari non poteſt. Lex ſiquidem Primogenitorum, affixa erat Altari (Num. 18. v. 17.) in loco electo terræ Iſraelis; affixa Sacerdotio Levitico Num. 18. v. 13. & 15. Nam Sacerdotum erant בכורי כל אשר בארצם *primitiæ omnium, quæ in terra eorum erant*; ſicut & כל-פטר רחם לכל בשר *omne primò natum cujuſcumque animalis*. Affixa item memoriæ eductionis ex Ægypto. Num. 3. v. 13. לי כל-בכור ביום הכותי כל-בכור בארץ מצרים. *Meum* (factum eſt) *omne primò natum in die, quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti*. Legalia denique cetera, etiam abolenda declarat Iſaias cap. 43. v. 18. & 19. אל תזכרו ראשנות וקדמניות אל תתבננו הנני עשה חדשה *ne ſitis memores antiquorum; & priſtina ne conſideretis. Ecce ego facio novum.*

X X X I I I.

עד כי יבא

Quamvis voculæ iſtæ עד כי verti non poſſint, niſi hoc ſenſu ſervato *donec*, vel *quouſque venerit*; contra tamen repugnant aliqui Rabbini, qui ineptâ accentuum conſideratione, legitimum ſenſum turbare conantur: Sed nimiùm falluntur, ſicut exemplis pluribus fit manifeſtum, ſimilium etiam accentuum inſpectione. Ideo idem valet hîc עד כי ac ſi ſcriptum eſſet עד אשר. Rem ſatis declarat, confirmatque Chriſtianus Noldius, qui etiam èxempla colligit, & diſcutit.

X X X I V.

1. יבא שילה

Ut hujus vaticinij robur effugiant Judæi, in omnibus vocibus litem movent. Hinc non deſunt ex Rabbinis, qui vocem יבא exponunt juxta illud Gen. 28. v. 11. כי בא השמש *quoniam occidit Sol*; & vocem שילה de Urbe Silo interpretantur, ut dicant: donec decidat, ſeu deſtruatur Tabernaculum Silo. R. Abraham Ben Eſdra refert, & approbat hanc expoſitionem, quam nos falſam, ſtolidæque mentis commentum dicimus; ideoque reijcimus, & deridemus.

X X X V.

2. יבא שילה

Vocem שילה Meſſiam deſignare certum eſt. Hoc ſatis manifeſtum eſt in

utroque

utroque Targum. Nam Onchelos עד כי יבא שילה vertit עד דייתי מלכא משיחא *uſquequo venerit Rex Meſſias*; & Targum Jeroſolymitanum habet עד זמן דייתי מלכא משיחא *uſque ad tempus, quo venerit Rex Meſſias*. Concordat etiam Talmud tractatu Sanedrin cap. 11. & communiter Rabbini, ſi paucos excipias. Non tamen omnes conveniunt in aſſignanda ſignificatione dictæ vocis שילה.

XXXVI.

Si vox שילה accipiatur quaſi eſſet שלו ſeu אשר לו, quamvis repugnet Philologiæ ratio; Interpretatio tamen vera eſt propheticè, & theologicè; & optime ſimul concordat cum verſione Septuaginta, immo & cum Targumiſtis, qui plenius vertunt, & exponunt: דדיליה היא מלכותא *cujus eſt Regnum*. Veritatem hujus verſionis confirmant plura Prophetarum oracula, quibus aſſeritur regnum Meſſiæ. Hoc patet ex Pſalmo 45. v. 6. & 7. ex Zacariæ cap. 9. v. 9. ſicut & Danielis cap. 7. v. 13. ולה יהב שלטן ויקר ומלכו וכל-עממיא אמיא ולשניא לה יפלחון שלטנה שלטן עלם די לא יעדה ומלכותה די לא תתחבל *Et ei dedit poteſtatem, & gloriam, & regnum; & omnes Populi, Tribus, & linguæ illi ſervient. Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quę non auferetur; & Regnum ejus, quod non corrumpetur.*

XXXVII.

3. יבא שילה

Si vox שילה exponatur juxta quorumdam Rabbinorum obſervationes, quaſi eſſet ſcriptum שי לו ſeu *munus illi* expoſitionem admittimus in ſenſu theologico; eàque utimur contra ipſos Judæos, demonſtrantes inde ſequi Meſſiam eſſe Deum. Vox enim שי de donis ſoli Deo oblatis occurrit in ſacris litteris, videlicet Pſal. 76. v. 12, Pſal. 68. v. 30., & Iſaiæ cap. 18. v. 7. & præterea nullibi.

XXXVIII.

Meſſias Deus.

CUm indicata Rabbinorum interpretatio juxta Philologiam vix videatur recipi poſſe; inde judicamus indicatum Meſſiæ divinitatis

tit בחושטא ביך אלהא ולית עוד אלהא בר מנך *In veritate in te Deus; & non eſt amplius Deus præter te*. Commentitiam expoſitionem hujus loci, quam Joannes Clericus, aliquando judaizans, obtrudit, veluti falſam deridemus; & cum D. Hieronymo de ſolo Meſſia locutum Prophetam propugnamus.

XXXIX.

De Meſſia differens Jeremias cap. 23. Meſſiæ divinitatem propoſuit (v. 6.) his verbis וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו *& hoc nomen, quo vocabunt eum: Deus juſtitia noſtra*. Quiſque Rabbinus ſuam hîc exerit induſtriam, ut hoc divinitatis Meſſiæ teſtimonium, nobis eripiat; verùm facile retunditur mendax aſtutia.

XL.

In Pſalmo 71. (apud Hebræos 72.) plura occurrunt, quæ Meſſiæ divinitatem enunciant; & præſertim verba iſthæc (v. 11.) וישתחוו לו כל מלכים כל גוים יעבדוהו (v. 17.) יהי שמו לעולם לפני שמש ינין שמו *Et adorabunt eum omnes Reges, omnes Gentes ſervient ei. Sit nomen ejus in æternum; ante ſolem propagabitur nomen ejus*. Fatente etiam R. Salomone Jarchio, allatis verbis concordat Propheta Michæas cap. 5. de Meſſia dicens (v. 1.) ומוצאותיו מקדם מימי עולם *& egreſſiones ejus ante dies ſæculi*. Cum utrobique de Meſſia ſit ſermo; & Meſſiæ æternitas tradatur: Hinc Meſſias Deus dicendus eſt.

XLI.

In vaticinijs Zachariæ cap. 12. v. 10. legimus והביטו אלי את־אשר דקרו *& aſpicient me, quem transfixerunt* R. David Kimchius monet, quod רבותינו פירשו על משיח בן יוסף שיהרג במלחמה *Rabbini F. r. expoſuerunt de Meſſia Filio Joſeph, qui occidetur in bello*. Nos non ſolum deridemus fabellam hanc de ſomniato Meſſia Filio Joſeph; ſed potius aſſerimus locutum Prophetam de vero, & unico Meſſia Filio David; ejuſque divinitatem enunciaſſe. Idipſum jam antea aperiens Iſaias, Deum dixit puerum, cui cap. 9. v. 5. nomen אל aſſignavit. Nomen vero אל de ſolo Deo dici perhibent ipſæ ſacræ litteræ, & ſpeciatim ipſe Iſaias cap. 43. v. 11, & 12. & alibi; nilque omnino evincunt, quæ opponit Iſaac Abrabanel.

XLII.

Prophetæ non modo Meſſiam Deum, ſed etiam Deum de Deo diſerte prædicarunt. Id teſtatur Zacarias cap. 2. v. 14. ubi habet הנני־בא ושכנתי בתוכך נאם יהוה ונלוו גוים רבים אל יהוה ביום ההוא והיו לי לעם ושכנתי בתוכך וידעת כי יהוה צבאות שלחני אליך *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus; & adhærebunt Gentes multæ Domino in die illa, & erunt Populus meus; & habitabo in medio tui, & ſcies Dominum exercituum miſiſſe me ad te*. In enarratis verbis Deus à Deo miſſus

clarè

clarè enunciatur; & prætereà agit ibi Propheta de Meſſia, ut etiàm ipſi Rabbini conſentiunt.

XLIII.

Non minus aperte Deum de Deo Meſſiam agnoſcere poſſent Judæi ex Pſal. 44. (apud Hebræos 45.) Nam v. 7. & 8. legitur כסאך אלהים עולם ועד שבט מישר שבט מלכותך אהבת צדק ותשנא רשע על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך *Thronus tuus, Deus, æternus: Virga æquitatis, virga regni tui: dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem. Ideo unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ Socijs tuis*. Hinc etiam fit evidentior error Judæorum, qui Davidi, vel Salomoni potius, quam Meſſiæ, dicta in hoc Pſalmo adjudicant.

XLIV.

Fatemur nomen אלהים *Elohim* ſæpe in ſacris libris dici etiam de Creaturis; ſed de Deo vero dictum accipimus in indicato Pſalmo, cum ad Meſſiam dicitur כסאך אלהים עולם ועד. Hæc verba varijs modis ſtudent turbare non ſolùm Judæi; ſed etiam Hæretici, qui cum Arrianis, & Photinianis perversè ſentiunt de Meſſiæ divinitate. Ne quis vero ex oppoſito pugnet, contendens in nomine אלהים pluralitatem denotari; Nos econtra ſentientes, aſſerere non dubitamus nomen אלהים, tùm de Creaturis, tùm de Deo dictum, niſi ei conjungatur verbum, vel adjectivum plurale, nec pluralitatem, nec Trinitatem indicare.

XLV.

Sacrarum litterarum oracula non ſolùm Meſſiam Deum; & Deum de Deo; verum etiam Filium Dei, & a Deo genitum docent. Præſertim hoc diſcimus ex Pſal. 2. v. 7. יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך *Dominus dixit mihi: Filius meus tu: ego hodie genui te*. Dictio היום de æternitate, accepta hùc adduci poſſet ex Iſaia cap. 43. v. 13. גם־מיום אני הוא. *Immo ab æterno ego ſum*.

Deum Filium, & à Deo genitum confirmant verba illa Proverb. cap. 8. v. 22. &c. יהוה קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז מעולם נסכתי מראש מקדמי ארץ באין תהמות חוללתי *Dominus poſſedit me initium viæ ſuæ, ante opera ſua ex tunc; ab æterno principatum accepi, ab initio ante[illegible] terræ: cum nondum eſſent Abyſſi [illegible] concepta fui*. Item Proverb.

poteſt *Filius ejus*. Ita etiam quidam Rabbini, qui provocant ad vocem cognatam שליה *ſecundina* Deut. 28. 57. quamquam non deſint, qui & ibi fœtum recens editum, & à ſecundinis denominatum, à Moyſe deſignari contendant, ut etiam refert R. David Kimchius in lib. radicum. Nos vero ſervato affixo fœmineo, ut jacet (non ut ſolet pronunciari) hujus interpretationis Philologiam admitti poſſe non refragamur. Dictam Interpretationem theologicè, & propheticè acceptam omnino tuemur. Nam indicat Virginem, Meſſiæ Matrem, cum Meſſias dicatur *Scilò Filius ejus*: ſcilicet Matris, tacito, & ideo excluſo Patre.

XLVII.

Virginitas Matris Meſſiæ.

Virginitatem Matris Meſſiæ clarius enunciatam aſſerimus a Propheta Iſaia cap. 7. v. 14. הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנואל *Ecce Virginem, fœtum gerentem, & parientem Filium, & vocantem nomen ejus, Emanuel*. Inania deſpicimus Rabbinorum deliria, dum impudentiſſimè negant hic ſermonem haberi de Meſſia, & de Virgine ejus Matre.

XLVIII.

שילה 5.

A' verbo שלה deduci poteſt שילה; tuncque verti debet *Pacificus*. Hanc interpretationem non modo admittimus; ſed etiam ceteris præferendam putamus quoad Philologiam. Huic expoſitioni conſentiunt Prophetæ, qui Meſſiam *Pacificum*, *Regem pacis*, & pacis Authorem prædixerunt. Audiatur vel ipſe Iſaias, qui cap. 9. v. 5. de Meſſia loquens שר שלום Principem pacis, Meſſiam nominat, & cap. 11. v. 6. ſicut & cap. 2. v. 4. Pacis Authorem annunciat, & deſcribit.

XLIX.

ולו יקהת עמים 1.

Vox יקהת plura poteſt ſignificare. A' verbo יקה nonnulli cum R. Salomone Jarchio, deducunt vocem יקהת; & tunc congregare indicat, vel etiam obedire. Nam hoc verbum, aut huic ſimile, ut notat R. David Kimchius, in uſu eſt eodem ſenſu apud Arabes; neque hoc præterit Lexicon Edmundi Caſtelli. Item à verbo נקה eſſet יקהת mundatio; & à קהה Hebetatio. Si vero, ut quidam volunt à קוה (quamvis minus propriè, & potius coacte) formetur יקהת, erit *adunatio*,

vel

vel etiam *expectatio*. Hinc ſequitur plura potuiſſe innuere, qui voce יקהת uſus eſt, de rebus futuris prophetans.

De Converſione Gentium.

SI itaque יקהת עמים vertatur *obedientia*, aut *adunatio*, ſeu *expectatio*, vel etiam *ſpes Populorum*, optimè congruit Meſſiæ, ſub quo prænunciabat Jacob converſionem Gentium; quemadmodum eam jam antea Deus ipſe declaraverat Abrahæ Gen. cap. 12. v. 3. ונברכו בך כל-משפחות האדמה *& benedicentur in te omnes Familiæ terræ*. Item cap. 22. v. 18. Iſaaco confirmatur iſta promiſſio Gen. cap. 26. v. 4. והתברכו בזרעך כל-גויי הארץ *& benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes*, ſeu *Populi terræ*. Denique idem aſſeritur Jacobo Gen. cap. 28. v. 13. ונברכו בך כל משפחות האדמה ובזרעך *& benedicentur in te omnes Familiæ terræ, & in ſemine tuo*. Ex his inter ſe collatis demonſtratur prædicta converſio Gentium; & ſimul imprudens & intolerabilis apparet expoſitio R. Salomonis; & non ſemel judaizantis Joannis Clerici, qui volunt verba והתברכו בך active accepta hunc ſenſum reddere: Benedicent Gentes omnes Flijs ſuis, propoſito Abrahæ exemplo, dicentes, quiſque Filio ſuo: *ſis benedictus ſicut Abraham, & ſicut Iſaac*.

L.

Pſalmum 71. (apud Hebræos 72.) non ſolum de Meſſia ſentimus omnino exponendum; verum inſuper ex ipſo adſtruimus converſionem Gentium eſſe ſimul indicium, & opus Meſſiæ. Aſſertionem hanc manifeſtant ſpeciatim verba illa (v. 5.) ייראוך עם שמש ולפני ירח דור דורים *timebunt te in conſpectu Solis, & coram Luna ætas ætatum*. Et v. 9. 10, & 11. ſicut & 17. ויתברכו בו כל גוים יאשרוהו *& benedicentur in ipſo; omnes Gentes beatum eum dicent*.

L I.

Converſio Gentium magis adhuc eluceſcit ex cap. ſecundo Iſaiæ, ſi vel leviter conſiderentur verba illa (v. 2.) ונהרו אליו כל-הגוים וגו *& fluent ad eum omnes Gentes &c.* & (v. 20.) ביום ההוא ישליך האדם את אלילי

L I I.

ולו יקהת עמים 2.

Cum verba illa ולו יקהת עמים, optime poſſint, etiam juxta Philologiam, verti: *& illius (erit) mundatio Populorum*. Nemini dubium ſuboriri debet prænunciatum fuiſſe à Jacobo, Meſſiæ ſacrificium, quo mundantur Populi. Hinc, data occaſione, de Paſſione Meſſiæ aliquid diſcutimus contra Judæos.

De Paſſione Meſſiæ Dei, & Hominis,

Cum ventum eſt ad cap. 53. Iſaiæ, inſaniunt omnes Judæorum Rabulæ, ſeu Recentiores Rabbini. Dicta ſiquidem ibi à Propheta, modo accommodant Jeremiæ, quibus lymphatus Judæorum commentis adhærere non veretur vel ipſe Hugo Grotius; modo Regi Joſiæ, affingi poſſe, modo, plumâ leviores, vel ipſimet Populo Judæo inter gentes diſperſo, applicari poſſe ſi non putant, ſaltem ſomniant, & venditant.

Nos econtra, ut fas eſt, credimus, & propugnamus, nulli puro Homini aptari poſſe, quæ ibi ediſſerit Iſaias; præſertim quæ habet v. 4. &c. אכן חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם ... והוא מחולל מפשעינו מדוכא מעונותינו וגו *Verè infirmitates noſtras ipſe tulit; & doloribus noſtris fuit onuſtus .... & ipſe confoſſus ob iniquitates noſtras, attritus ob ſtelera noſtra*. Et cętera plura, quæ ibi leguntur.

L I I I.

Soli Meſſiæ Deo, & Homini convenire poteſt indicatum Iſaiæ vaticinium. Quamvis vero neceſſe non ſit, ut in Prophetis cohæreant inter ſe extrema cum primis; adhuc tamen caput 52. 53, & 54. Iſaiæ, ita inter ſe cohæreſcunt, ut Rabbini, qui hujus cohærentiam deſiderari, ſi de Meſſia intelligantur, cauſari ſolent; hanc ipſam cohærentiam cogantur agnoſcere. Nihil etiam obtinent, dum maleſuadi Apellæ opponunt (ex v. 8.) מפשע עמי נגע למו, quaſi non de una ſingulari Perſona patiente, ſed potius de Pluribus loquatur Propheta; cum exempla non deſint in ſacris libris, quibus retundatur male oculatorum aſtuta perverſitas.

L I V.

De Culpa originali.

Isaac Abrabanel non modo in pravum ſenſum detorquet Iſaiam de Meſſia patiente, vaticinantem; quin immo, ut audentius Paſſionem Meſſiæ

Meſſiæ abnegare valeat, culpam, quam originalem dicimus, ſomnium reputat; ideoque, cum alijs ex Judæis, eam omninò inficiatur. Nos contra ipſum contendimus veteres plures Rabbinos, immo & Modernos non paucos, peccatum originis nobiſcum agnoſcere, & propugnare. De hoc non dubitabit, qui leget Talmud in Bavà Batrà cap. 1. (in Bet Iſrael n. 35.) ſicut & Targum libri Ruth prope finem, ubi inter cętera comparent hæc verba = על ההוא עיטא (דיהב חויא לחוה אתת אדם) אתחיבו מותא כל דירי ארעא *propter illud consilium (quod dederat Serpens Evæ Uxori Adam) rei mortis facti ſunt omnes Incolæ terræ.*

L V.

Neque, ad aſſerendum peccatum originale, nobis deſunt invicta argumenta ex ipſis ſacris litteris deſumpta. Nam (ex cap. 3. Gen. v. 17.) Adam morte punitur; & (v. 23.) è Paradiſo expellitur. Hanc pœnam pro peccato Adam inflictam, & jam antea minis à Deo prænunciatam, ſubeunt omnes, qui ex Adam naſcuntur. Manifeſta ſunt etiam verba Pſalmi 50. (apud Hebr. 51.) v. 7. הן בעוון חוללתי ובחטא יחמתני אמי *Ecce in iniquitate conceptus fui; & in peccato calefecit me Mater mea.* Nobis favent, quæ hic habent Targum, R. Salomon, & ipſe Abraham Ben Eſdra. Item in libro Koelet ſeu Eccleſiaſtæ cap. 7. v. 29. עשה האלהים את האדם ישר והמה בקשו חשבנות רבים *Fecit Deus hominem rectum; ſed ipſi quæſierunt cogitationes multas.* Fuſiùs hoc declarat Targumiſta Chaldæus de morte omnium in pœnam peccati primi Hominis.

L V I.

Vaticinium Jacob de tempore adventus Meſſiæ, illuſtrat prædictio Danielis tum cap. 2. tum cap. 7. Nam cap. 2. v. 44. legitur = וביומיהון די מלכיא אנון יקים אלה שמיא מלכו די לעלמין לא תתחבל ומלכותה לעם אחרן לא תשתבק תדק ותסף כל-אלין מלכותא והיא תקום לעלמיא *In diebus iſtorum Regum, excitabit Deus Cęlorum, Regnum quod in ſæcula non corrumpetur; & Regnum iſtud alij Populo non concedetur: comminuet, & abſumet omnia iſta Regna; & illud ſubſiſtet in ſæcula.* Item cap. 7. v. 17, & 18. ארבעה מלכין יקומון מן-ארעא ויקבלון מלכותא קדישי עליונין ויחסנון מלכותא עד עלמא ועד עלם עלמיא (v. 27.) ומלכותא ושלטנא ורבותא די מלכות תחות כל-שמיא יהיבת לעם קדישי עליונין מלכותה מלכות עלם וכל שלטניא לה

Digitized by Google

adventus Meſſiæ; verum etiam ejus Regni, ſeu Eccleſiæ, ortum, & incrementum quaſi digito monſtrat, deſignatque Daniel. Hinc ſatis aperte indicatur venturum fuiſſe Meſſiam, dum adhuc vigeret ferreum illud Romanorum Imperium (Daniel. cap. 7. v. 7. & 24) omnia vorans, conterens & conculcans. Delirant hîc, & omnia præpoſtere commentantur Rabbini, præſertìm qui cum R. Abraham Ben Eſdra, Romanum Imperium cum Græco confundunt; Romanoque Regnum Iſmaheliticum, ſeu Turcarum ſubſtituunt dicentes: והחיה הרביעית הנראה הוא מלכות ישמעאל *Beſtiam quartam in viſu oſtenſam, eſſe Regnum Iſmahelis*. Has, ſimileſque Rabbinorum mentis alienationes diſſipant verba ipſa Danielis, cui etiam hæc excęcatorum deliria præoſtenſa fuerunt verbis illis (cap. 12. v. 10.) לא יבינו כל-רשעים והמשכילים יבינו

הריעו לאלהי יעקב
Pſal. 81. 2.

Diſputabuntur in Templo S. P. DOMINICI Bononiæ Anno 1756.

Die . Menſis Auguſti Hora

Præerit P. Fr. Raymundus Maria Berolati *Ordinis Prædicatorum Congregationis Sanctæ Sabinæ, Publicus Profeſſor Linguæ Hebraicæ in Archigymnaſio Bononienſi.*

VA1 1517550